



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Duplici conclusione proposita difficultas resolvitur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

§. I.

Duplici conclusione proposita difficultas resolvitur.

Dico primò : Christus in quantum homo, (ly in quantum reduplicante humanitatem Verbo unitam) non est filius naturalis Dei, filiatione fundatà in humanitate, quatenus Verbo unita, aut in sanctificatione humanitatis à Verbo.

Prima pars probatur primò contrà Hurtadò: Filiatio naturalis petit super actionem naturalem, non autem super liberam & voluntariam fundari, ut communiter docent Theologi: Sed actio creativa humanitatis, & actio unitiva illius ad Verbum non sunt Deo naturales, sed liberae & voluntariae: Ergo super illas nequit filiatione naturalis fundari, ac per consequens Christus ut homo non est filius naturalis filiatione fundatà in humanitate, quatenus unita Verbo.

Probatur secundò eadem pars: Filius naturalis est qui à Patre per naturalem generationem procedit: Sed Christus, quatenus homo, ratione naturae humanae Verbo unita, non procedit à Deo naturali generatione: Ergo ut homo non est filius naturalis Dei filiatione fundatà in humanitate quatenus Verbo unita. Major patet, Minor probatur. Generatio, ut communiter definitur à Philosophis, est origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturae: Sed Christus, quatenus homo, non procedit à Deo ut vivente à vivente conjuncto in similitudinem naturae: Ergo ut homo, & ratione naturae humanae non procedit per generationem à Deo.

Respondet Hurtado; negando utramque partem Minoris: Deus enim (inquit) est conjunctus substantialiter Christo, ut homini, medià substantià Verbi, quae substantialiter identitatur cum Deo. Deinde natura humana, etsi divina non sit similis specificè, est tamen illi similis analogicè.

Sed contra primò: Ad generationem naturalem requiritur, quod sit à principio conjuncto, conjunctione per se causante vel communicante similitudinem in natura, ut communiter docent Philosophi, & patet ex ipsa quidditate & definitione generationis, quae est origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturae: his enim verbis significatur ad generationem requiri, quod vivens per se causet, vel communique similitudinem in naturam: Sed personalitas Verbi, quae Christus ut homo conjungitur substantialiter Deo, non dat formaliter & per se naturae similitudinem, nec illam causat per se, humanitas enim non causatur per se à Deo quatenus trino, sed solum quatenus uno: Ergo Christus, ut homo, non est à Deo ut à principio conjuncto, conjunctione sufficiente ad rationem generationis naturalis.

Addo, quod si conjunctio humanitatis ad Verbum sufficiens esset, ut diceretur Christus ut homo naturaliter genitus à Deo, sequeretur esse magis filium naturalem sui, quam Patris, & Spiritus S. humanitas enim est magis conjuncta Verbo, quam Patri, & Spiritui sancto.

Deinde falsum est, quod ad generationem viventium sufficiat similitudo analogica: vermes enim producti ex humore putrido in homine, etsi viventes sint, & à principio conjuncto vitali actione procedant, non dicuntur geniti generatione viventium, nec similiter capilli geniti di-

cuntur generatione naturali: Sed non ob aliam causam, nisi quia non assimilantur specificè cum principio, à quo procedunt: Ergo similitudo specifica termini geniti cum principio generante, est de ratione generationis viventium.

Secunda pars conclusionis, quae asserit Christum ut hominem non esse filium Dei naturalem filiatione fundatà in sanctificatione humanitatis à Verbo, expressè docetur à D. Thoma infra qu. 32. art. 3. in corp. his verbis: *Christus est filius Dei secundum perfectam rationem filiationis, unde quamvis secundum naturam humanam sit creatus & justificatus, non tamen debet dici filius Dei, nec ratione creationis nec ratione justificationis, sed solum ratione generationis aeternae, secundum quam est filius Patris solius.* Ergo iuxta D. Thomam in Christo respectu Dei nulla est filiatione fundatà in sanctificatione humanitatis à Verbo, sed tantum filiatione in aeterna generatione fundatà.

Ratio etiam, quam S. Doctor insinuat, id suadet: Nam quod dicitur de aliquo secundum rationem perfectam, non potest dici de eodem secundum rationem imperfectam: Sed filiatione ratione sanctificationis à Verbo, vel à divinitate unita, est imperfecta, & veluti quaedam imitatio filiationis naturalis: Ergo persona Christi, quae ratione aeternae generationis est filius Dei secundum perfectam rationem, est incapax filiationis fundatà in sanctificatione humanitatis à Verbo.

Deinde, si Christus esset capax talis filiationis, non posset tamen ratione illius dici filius naturalis Dei: filiatione enim naturalis petit profundamento naturalem generationem; sanctificatio autem humanitatis à Verbo non potest dici naturalis generatio, cum ratione illius humanitas non vivat, nec à Verbo procedat in similitudinem naturae. Præterquam quod si ratione sanctificationis humanitatis à Verbo, Christus ut homo diceretur naturaliter genitus, sequeretur ipsum ut hominem magis esse dicendum filium Verbi, vel Dei, ut communis tribus personis, quam filium Patris: Sed hoc dici nequit, ut infra ostendemus: Ergo nec illud. Sequela patet, nam humanitas Christi magis immediate sanctificatur à personalitate Verbi, & à Divinitate tribus personis communi, quam à personalitate Patris, quae solum per concomitantiam, & circuminseptionem relidet in humanitatem Christi.

Dico tercio: Christus, in quantum homo, per gratiam unionis est filius Dei naturalis formaliter, ly in quantum determinante in se, non naturam, sed suppositum ut in illa subsistens, non reduplicative, sed specificative.

Prima pars conclusionis ostenditur primò: Christus in quantum homo, est filius naturalis Dei, ut multoties asseritur ab Adriano I. in epistola ad Episcopos Hispaniae, sub nomine filij proprii: Sed hoc verificari non potest in sensu materiali & identico: Ergo Christus, in quantum homo, est filius Dei naturalis formaliter. Probo Minorem: Christum in quantum hominem esse filium naturalem, aliquid addit ad hoc, quod est Christum hominem, esse filium naturalem, sine particula in quantum: Sed hæc secunda propositio petit ad sui veritatem, Christum hominem esse filium naturalem Dei, saltem in sensu identico & materiali: Ergo prima ad sui veritatem exposcit, Christum esse filium Dei naturalem in aliquo sensu formali.

52. Probatur secundò eadem pars : Id convenit Christo, ut homini, per gratiam unionis formaliter, quòd per se & formaliter petitur ab unionis hypostatica humanitatis ad Verbum: Sed per se petitur ab hac unionis Verbum, ut est filius naturalis Dei: Ergo Christus ut homo est filius Dei naturalis formaliter per gratiam unionis. Major patet. Minor probatur. Unio hypostatica humanitatis ad Verbum per se petit illam unire Verbo Dei, ut subsistens in natura divina, per generationem ipsi communicata: Sed Verbum, ut sic subsistens, est filius Dei naturalis: Ergo unio humanitatis ad Verbum per se petit Verbum ut est filius Dei naturalis.

53. Confirmatur: Licet unio non fuerit facta in natura, nec immediate ad naturam, mediata tamen fuit ad illam terminata: Sed non ad naturam ut communem tribus personis: Ergo ad illam ut in secunda persona existentem: At Deitas, ut est in secunda persona, per generationem existit: Ergo per se petitur ab unionis hypostatica, quòd humanitas uniat mediata cum natura divina, ut per generationem Verbo communicata, & consequenter per se petit Verbum ut est filius naturalis Dei.

54. Confirmatur amplius: Unio hypostatica id petit per se formaliter, quòd per se intentum fuit ex vi Incarnationis Verbi: At ex vi Incarnationis non solum fuit per se intentum, quòd Verbum Dei esset homo, sed etiam & principaliter, quòd hic homo, signato Christo, esset Deus: Ergo unio hypostatica hoc etiam petit per se: Sed non quòd esset Deus communis tribus personis: Ergo quòd esset Deus deitate prout habita per generationem, & consequenter per se petitur ab unionis hypostatica Verbum prout est filius naturalis Dei. Id magis patebit ex dicendis disp. eq. ubi ostendimus, Christum ut hominem proprie fuisse prædestinatum ad esse filium Dei naturalem, juxta illud Apostoli ad Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute.*

55. Deinde secunda pars conclusionis probatur: Denominatio filij non convenit in recto naturæ, sed personæ, ut art. præcedenti ostendimus: Ergo Christus, in quantum homo, est filius naturalis Dei, ly *in quantum* determinante non humanitatem in recto, sed suppositum in humanitate subsistens, naturam ingredientem in obliquo.

56. Quòd autem Christus ut homo non sit filius Dei naturalis ut subsistens in humanitate, ly *ut sumpto* reduplicativè, sic ostenditur. Christum ut in humanitate subsistentem, esse reduplicativè filium Dei naturalem, est esse filium naturalem Dei, quia in humanitate subsistit: At quamvis Christus ut homo sit filius naturalis Dei, hoc tamen non habet, quia in humanitate subsistit, sed quia subsistit in divinitate: Ergo ut subsistens in humana natura non est filius Dei naturalis formaliter, ly *ut* reduplicativè sumpto.

57. Ex quo probata manet ultima pars: Christus enim, in quantum homo, est filius Dei naturalis formaliter, ut in prima parte conclusionis ostendimus: Sed in quantum homo non est filius Dei naturalis formaliter, ly *in quantum* sumpto reduplicativè ut patet ex jam dictis: Ergo in quantum homo est filius Dei naturalis formaliter, ly *in quantum* sumpto specificativè.

58. Confirmatur: Christum in quantum hominem esse filium Dei naturalem, ly *in quantum* sumpto specificativè, nihil aliud est, quam quòd ut ho-

mo sit subjectum capax denominationis filij naturalis formaliter: sicut Petrum in quantum pillatum esse crispum in sensu specificativè, nihil aliud significat, quam quòd Petrus secundum capillos sit capax suscipiendi crispitatem, ut docetur in summulis: Sed Christus in quantum homo, seu ut subsistens in humanitate, est subjectum capax denominationis filij Dei naturalis formaliter, ut ex solutione argumentorum patebit: Ergo in quantum homo, est filius Dei naturalis, ly *in quantum* sumpto specificativè.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Contra primam conclusionem nullum movetur argumentum alicujus momenti: sed contra secundam obijciunt: Ut de Christo in quantum homine verificetur esse filium Dei naturalem formaliter, requiritur quòd hypostasi Verbi, sub conceptu filiationis formaliter, uniat humanitati: Sed non sic ei unitur: Ergo Christus ut homo non est filius Dei naturalis formaliter. Major patet. Minor in qua est difficultas, probatur primò. Filiatio Verbi est formaliter relatio: Sed filio Verbi non unitur humanitati formaliter sub conceptu relationis, alias illam constitueret relatum: Ergo non unitur illi formaliter ut filio.

Secundò: Cui non unitur fundamentum relationis formaliter, nec formaliter unitur filio: Sed fundamentum filiationis Verbi, solum passiva generatio, non unitur humanitati Christi formaliter, alias illam constitueret generatam generatione divina: Ergo filio Verbi non unitur humanitati sub conceptu filiationis formaliter.

Tertiò, Si Pater humanitatem assumeret, non uniretur formaliter humanitati assumptæ, sub conceptu Patris, alias ut homo esset formaliter Pater, quòd est falsum, nam ut homo multum filium generaret: Ergo pariter Verbum assumens humanitatem, non unitur illi sub ratione filij formaliter.

Quartò, In secunda persona non solum requiritur relatio filiationis ad Patrem generantem, sed etiam relatio Verbi ad Patrem dicentem, & imaginis ad Patrem à Verbo representantem: At secunda persona non unitur humanitati formaliter, sub ratione Verbi & imaginis: Ergo nec sub conceptu filiationis.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem; ad cujus primam probationem, nego etiam Minorem, filio enim Verbi unitur humanitati sub conceptu relationis formaliter: nec ex hoc sequitur, quòd constituat humanitatem relatum, quia humanitas hujus effectus est incapax; sicut nec sequitur quòd constituat deitatem relatum, licet illi uniatur formaliter sub conceptu relationis, quia hujus effectus deitas capax non est. Unde si nonnunquam in hoc Tractatu, vel alibi diximus, subsistentiam Verbi uniri humanitati duntaxat sub ratione forme hypostaticæ, non verò sub conceptu formæ relative, hoc intelligendum est, quantum ad denominationem relativam filiationis, quam subsistentia Verbi non tribuit humanitati assumptæ ob incapacitatem ejus.

Ad secundam, concessa Majori, nego Minorem, verè enim generatio passiva, quæ est fundamentum proximum filiationis Verbi Divini,